



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1658

§. 97. Tu dicis: quia Rex sum ego.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

§. 95. Dicit ei Pilatus : Ergo Rex es tu?

Quia præses adverteret ex Christi verbis non negare, se esse Regem; sed solum non esse Regem hinc vel de hoc mundo & capere huiusrei mysterium non poterat, cogitavit eum verbis clavis & apertis interrogare, replicando ad Christi dictum hoc modo: Ergo saltem Rex es tu, ut veritatem apertam ex ore eius intelligeret, & secundum eam iudicare posset, & Tyberio Cæsari rationem dare. Præsens autem ænigma discriminis regni cœlestis ac terreni, tantæ fuit altitudinis, ut neque Pilatus neque quispiam alius præsentiam illad capere potuerit. Erat Rex Christus, constitutus super Sion montem sanctum; quia ipsi à Patre data est omnis potestas in cœlo & in terra: & tamen simul Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sicut ipse Melchisedech, Rex salem fuit simul & Sacerdos Dei altissimi noli obsecro scandalizari hæretice cum laudis vel vides potentiam terrenam in Ecclesia Christi, noli invidere, vicit Principem huius mundi & nunc victor facit suos sacerdotes secum regnare.

Dile mecum vivat Rex: Ave Rex: Benedictus qui venit in nomine Domini, ô Sanna in excelsis te adoramus Rex noster, tibi benedicimus, tibi gloria in sæcula sæculorum, tibi omnis nostra subiectio, tibi omnis honor, tibi nos & nostra consecramus in sempiternum. Rex Israel Amen.

§. 96. Respondet Iesus. v. 37.

Aspice & considera hic, ô Christiane, ô Religiose, quid tibi conveniat, quoties interrogatur Iesus tuus & Salvator, & quoties responderi ipse eum humilitate, submissione, & veritate, non ficte, sed sincere sive Iudæo, sive Ethnico, quia superiores constituti, & in dignitate positi sunt honorandi, Dei causa: & Tu Christiane, homuncio vilis, ovis perdita tuo Pastori animarum curatori sæpius resistere audes? tu pœnitens tuo Confessario, tu fili parentibus tuis? tu Religiose Prælato tuo? Abbati, Superiori, Priori, Priorissæ, Pudeat nos offines & pœnitentiam agamus de nostra superbia.

§. 97. Tu dicis: quia Rex sum ego.

Sive interrogando me, sive affirmando hoc dicas bene dicis: quia Rex sum ego: & ne Pilatus, nesciens alia regna, quam ista terrena mere, quæ mundus dat vel rapit ubique temperavit Dominus responsa sua, ut innocentiam probaret suam, audientes non errarent uti, mox apparebit.

Domine :

Domine mi Rex fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, regemque ita ut nosmetipsos bene semper coram te regamus, ut ad regnum eam perveniamus, quod non ab hominibus eorumque suffragiis accepisti, sed à patre originaliter hæreditasti, & postea homo factus, tuis bene hæditis multipliciter promeruisti.

§. 98. *Ego in hoc natus sum. v. 37.*

1. Ex Patre meo caelesti per æternam generationem, in similitudinem suo identitatem nature procedens. 2. Ex Maria Virgine, de stirpe Regia homo natus, Luc. 3. Ex S. Iosepho, Patre meo nutritio, qui nullam aliam prolem habuit, & ex regum prosapia Matth. 1. descendit, natus forma Rex, quia hæres sum illius. 4. inauguratus sum Rex die Palmarum, ne natiuitas sine te titulata posset censeri.

Domine Iesu Christe, ego cum Nathanaele admirans te libenter ex corde dico, & acclamo: Tu es Filius Dei, tu es Rex Isaac.

§. 99. *Et ad hoc veni in mundum. v. 37.*

Antea se ostendit esse natum Regem, nunc etiam meritis suis se regiam dignitatem & regnum obtinere demonstrat, & quidem longe excellentiore modo quam alii, qui regna promeruerunt, nam ego, ait, illa intentione natus sum, ut regnum acquirerem mihi, ceteri, qui regna obtinuerunt, cum nascebantur, vel ante natiuitatem suam non poterant intendere quia usu rationis carebant, ego sapiebam, & iudicabam, & volebam, & operabar.

Domine Iesu merito de te dixerunt missi à Principibus, cum te audierunt, nunquam sic locutus est homo, quia nunquam etiam sic fuit ullus homo, sicuti tu fuisti homo, & operari sequitur esse, cuiusque rei, ut scholæ Philosopherum loquuntur.

§. 100. *Ve testimonium perhibeam veritati. v. 37.*

Quod regnum, quomodo id promereri intenderit, & quibus modis: nimirum docendo veritatem, & verbis & exemplis. Ita enim Christus ingreditur in animos hominum, & incipit in eis regnare, dum veritatis dogmatibus obsequuntur.

Domine Iesu iam valde clare ostendis regnum à te intentum principaliter, esse spirituale regnum in animabus, dum earum intellectum per evidentem credibilitatem propositionum tuarum tibi concillas, & fidem inducis, per quam mox in cordibus nostris regnas, eijciendo tenebras, &

vita